Pétur Þorsteinsson
De perversa infantum nutritione in Islandia.

Kh. 1772.

DE

# PERVERSA INFANTUM NUTRITIONE IN ISLANDIA

TANQVAM MULTORUM MORBORUM CAUSA

DISSERIT

PETRUS THORSTENSEN,

DEFENDENTE STRENUISSIMO PHILOSOPHIÆ CULTORE

LAURENTIO SNEFIÆLD.

IN AUDITORIO.






Die XIX Decemb. MDCCLXXII. h. p. m. f.

HAFNIÆ,

typis VIDUÆ A.-H. GODICHE, S. Reg. M. Univerf. Typograph.
per F. C. GODICHE.

# L. B.

R*epentina infantum mors in Islandia unumqvemqve, qvi ullo ſenſu miſeriæ humanæ tangitur, qvam tenerrime afficiat. Fragiles, nudi atqve inermes in mundum mituntur infantes, atqve adeo, niſi in lucem editi mox pereant, aliorum auxilio indigent, & nihil tamen eſt certius, qvam ut gravisſima adultorum culpa incuriaqve pleruinqve intereant: Certe ſcio in Islandia, parentum negligentiæ crebram infantum mortem adſcribendam eſſe, non ſine dolore ab ipſis Islandis audivi, & in libro præſtantisſimo, qvi,* Iter E. Olai & B. Povelſenii per Islandiam *inſcribitur, legi, qvam miſere tenella ætas in hac regione curetur; Mox igitur decrevi his malis ea ratione, qva potui, mederi; Et qvoniam pro ſtipendiis, qveis fruor, academicis ſpecimen ſcribendum eſt, haud abs re exiſtimavi eſſe, ſi hanc materiam diſputationis eligerem, ut & originem hujus morbi, & qva potisſimum ratione occurri his malis posſit, oſtenderem. Doleo autem, plebem islandicam neſcire latine, Qvapropter magnopere optandum eſſet, ut aliqvis hunc libellum in islandicam lingvam traduceret; ille autem & latine & islandice probe ſciret, & ſic vel ex hoc tantillo opere aliqvam utilitatem respublica hauriret.*

Infantum freqvens mors in islandia certe omnium meretur attentionem, vix enim datur regio ubi refpectu adultorum major invenitur infantum defunctorum numerus certis imprimis islandiæ locis (a) tam copiofe mortem obeunt, ut vix dimidia vel tertia infantum pars ad maturam perveniat ætatem, fed qvam plurimi in lucem editi intra biennium vel triennium immatura multantur morte.

Morbi, qvorum freqvens confeqventia in islandia mors eft infantum, nondum funt adhuc fatis cogniti & defcripti, fed freqventisfimi, qvibus vexantur morbi funt naufeæ, vomitus, fingultus, dolores torminofi, flatus, Diarhæa, turgidum & prominulum abdomen, etiamfi toto corpore emaciati, ad ultimum convulfiones, qvibus malis mors tandem finem imponit. Nihil autem utilius, qvam harum calamitatum veras cognofcere caufas.

Inter

(a) Imprimis parte feptentrionali præfecturæ Bardeftrandi & meridionali præfecturæ Iffefiord. Vid. E. Olfens og B. Povelfens Reyfe igiennem Island. pag. 452. §. 600.

Inter harum primarias certe numeratur infantum nutritio; Islandis enim abominabilis mos eſt, ut matres infantibus nunqvam præbeant ubera (b), neqvidem illos permittunt haurire tenue, ſeroſum & detergens lac a provida natura in mammis maternis paratum, atqve infantibus tam utile coloſtrum, ſed ſtatim poſt partum materna auctoritate ab uberibus prohibentur, hinc cum illis lac maternum negetur, aliud alimenti genus ſubminiſtrant & miſellis recens natis lac exhibent bovinum (c) ſemper crudum & ſæpe frigidisſimum, hinc illæ lacrymæ, nam hoc infantibus tam inſvetum nutrimentum non poteſt non funeſtas habere ſeqvelas (d).

Non defuere, qvi lac damnaverunt maternum & alienum prætulerunt & prima fronte ſpecioſis qvidem argumentis, ſed qvis non videt, hos in ſummo verſari errore. Qvamdiu enim utero includitur foetus materno, nutrimentum fruitur a primo tempore conceptionis ad ultimum per venam umbilicalem, ſed qvamprimum in lucem editus & reſecta chorda umbilicali ceſſat

 per

(b) Vid. eod. loc.

(c) Hanc conſvetudinem apud islandos celeb. G. V. Svieten in dubium vocavit in ejus commentariis in aphor. Boerh. Tom. 4 de morb. infant.

(d) Exempla in Islandia ſunt producenda, matrem omnes tali modo nutritos perdere natos, ſed cui pro defectu lactis bovini, ubera præbuerat, ſanum manere, & ad ſenilem pervenire ætatem. Vid. E. Olſens Reyſ. p. 451.

per eam omne comercium, hac ceſſante aliud alimenti genus ſangvini materno ſubminiſtrari debet, poſt brevis enim temporis abſtinentiam recens natus indiget nutrimento. Paucas ante horas, dum materno hærebat utero matris vixerat humoribus, qvis dubitet, lac a maternis humoribus ſeparatum chyloqve materno ſimillimum infanti poſt partum aptisſimum & utilisſimum eſſe nutrimentum. Hoc etiam qvaſi divinis nititur legibus, mammæ enim maternæ poſt partum inſigniter intumeſcunt, turgent primo ſeroſo & tenui liqvore, qvem paulo poſt ipſe chylus ſeqvitur, qvanam nonne regitur ſapientia hæc ad foetum nutriendum & conſervandum adeo ſapiens ſtructio. Infans porro recens natus naturam habet manuductorem, hoc nutrimentum novit capere, qvando nondum alterius officii humani fecit experimentum, complectitur ore papillam, inſpirat, ſugit & alitur.

Hinc patet, qvam magnopere Islandi a naturæ aberrent via, dum recens natis uberibus prohibitis lac bovinum præbent incongruum, nonne enim mutationes, qvæ in foetu poſt partum accidunt, ſunt ſatis magnæ, niſi ſubita acceſſerit in victu mutatio, qvæ ſemper etiam apud robuſtos & adultos non careat periculo.

Sed ut conſideremus illa mala, qvæ ab uberibus prohibitis & uſu lactis bovini primis diebus tenellis neceſſa-

cèssario contingant, tum veram invenimus in hac ætate morborum & mortis causam; Notum est, totum plerumqve tractum crassorum recens nati intestinorum materia picea, fæculenta nigra, & glutinosa (Meconium dicta) esse repletum, hæc si nimis diu retinetur acrimoniam acqvirit, intestinorum irritat fibras & creat tenesmum & anxietates, hinc ad infantis sanitatem conservandam necessaria est hujus materiæ glutinosæ subita expulsio & primarum viarum abstersio; Ad has abstergendas lac tenue dilutum atqve leviter purgans maternum recens natis a provida natura concessum est, hoc primum serosum lac (Colostrum dictum) solvit materiam fæculentam, abstergit ventriculi & intestinorum cavum & meconium summa expurgat utilitate, sed hac abstergendi & stimulandi vi vix gaudet lac bovinum, non tam dilutis serosis & dulcibus constat particulis, etiamsi bovinum esset colostrum, & si constaret, dum aeri semper aliqvod tempus expositum subtilissimas, volatiles & maxime stimulantes partes disspergit in auras, neqve naturali lege ex uberibus immediate in infantis transeat ore, hinc seqvitur, cum non tam dulcibus ac detergentibus ac colostrum maternum constat particulis, non tales in infantis ventriculo & intestinis producere effectus, sed carere leni vi stimulandi, nec multum conducere ad meconii expulsionem & primarum viarum abstersionem. Hinc meconium intestinis contentum

tum non ſatis mature expulſum magnam acqvirit acrimoniam, irritat inteſtinorum fibras ſenſibiles & gravat inteſtina, ſi vero natura fruſtra hujus tentat evacuationem ob defectus ſtimulantis lactis materni, tunc in peſſimam abit acrimoniam & freqventi irritatione irreqvieta, clamores, anxietates & gravisſima producit tormina, qvibus convulſiones, & cum raro contra hæc utuntur medelis, brevi freqvens ſeqvitur mors miſellorum.

Sed ſicut vi meconium abſtergendi lac non gaudet vaccinum, ſic etiam vix valet ad cruſtam glutinoſam reſolvendam & educendam, qva vernicis inſtar ventriculum & recens nati inteſtinæ ſæpisſime obducantur, ab hoc retento glutinoſo, qvamplurima neceſſario infanti ſeqverentur incommoda, hæc cruſta glutinoſa freqventes excitat tuſſes & vomituritiones, impegit arteriarum eructationem & venarum reſorbtionem in ventriculo & inteſtinis, ſine qvibus ingeſta omnino non digeruntur & in chylum mutantur. Succus (e) pancreaticus & bilis non poſſunt inteſtinum duodenum intrare, qvia materia mucoſa tranſitum eſt prohibitum, hinc tota turbatur actio chylificationis, ingeſta omnino non mutantur, & etiamſi impletæ ſunt primæ viæ, tamen miſeri pereunt defectu nutrimenti.

Ex his præmisſis ſatis perſpicuæ ſunt cauſæ primariæ, cur tam multi islandorum infantes in ipſo vitæ pereunt

reunt

(e) Ideo non raro in islandorum recens natis obſervatur icterus.

reunt limine, ſc. ex materia glutinoſa ventriculum incruſtante & nimis diu retento meconio, qvorum retentio procul dubio a lacte materno prohibito & vaccini uſu ſuam debent originem. Si vero ipſa natura ſponte horum tentat evacuationem, & qvidem ſucceſſu primæ tenelli abſterguntur viæ, tamen hæc inſveta non illis conducit nutritio, ſed qvamplurima adhuc illis contingere poſſunt mala, Lac enim bovinum, ut nimis caſeoſum, ſpiſſum & nutriens difficulter a recens nati debili digeretur ventriculo, ſed facile coagulatur & in acidam degerat acrimoniam, (& non mirabile, lac bovinum citius lacte humano acidam induere acrimoniam, cum bubuli ſolis vegetabilibus homines e contrario & his nec non animalibus utuntur pro nutrimento), Lac coagulatum acidum in ventriculo contentum ſemper mora majorem aqvirit acrimoniam, hinc qviqvid de lacte ingeritur (acore in ventriculo ſemel orto) ſtatim coagulatur & brevi omnia ventriculo & inteſtinis contenta eandem acidam induit acrimoniam.

Si vero hujus mali non inſtituitur medela, tum omnia ſtatim degenerantur & corrumpuntur ingeſta, fæces alvinæ acidum ſpirantes fere ærugineo gaudent colore; Cum eo usqve pervenerunt mala difficulter curantur, Lac acre coagulatum pertua irritatione gravisſima tormina excitat & vigilia tandem gangreneſcentibus inteſtinis, putridas diarhæas, qvibus miſere pereunt miſelli.

Sed non in hoc uno (qvod recens natos lacte nutriantur bovino) peccant islandi, nam præter lac bovinum recens natis etiam alios porrigunt cibos, ſic non ſolum primis diebus lac farina mixtum præbent infantibus, & tali pulticulo debilem illorum implent ventriculum, ſed circa tertium menſem, duriora edulia, Piſces & carnes indurati &c., qvæcunqve illis obvia porrigunt, & cum infantibus adhuc non valeant dentibus, illis cibum porrigunt manducatum, hic cibus ſemper eſt durus & ſolidus, qvi vix ab adulti & multo minus a debili infantis digeretur ventriculo. Infantes etiam avidi ciborum, omnia, qvæ illis porriguntur cupide devorant, qva voracitate parentes delectantur, qvoniam credunt ventriculum infantis inde ſanum & ad omnia in poſterum digerenda, aptum reddi, ſed illos fallet opinio, nam omnia hæc ingeſta tenerum infantis extendunt & debilitant ventriculum & illum ad bonam degeſtionem perficiendam reddit inutile, hinc qvam plurima morborum genera Scabies (f), obſtructiones glandularum, rachitis (g), febres lentæ & hecticæ tandemqve mors ſuam debet originem.

Non

(f) Scabiem v. efflorefcentiam cutis totius corporis (island. Kræſde.) raro infantes evitant in islandia, ſæpisſime poſt diarhæam ſanatur, ſi non, ſæpe in ulcera degenerat maligna nec raro poſt ſcabiem continuam Phthiſici & hectici pereunt.

(g) Rhachitis imprimis inſul. Veſtmanöe cæpit incrementum teſt. B. Povelſen vid. E. Olſ. Reyſe igienn. Island.

Non minus ad corpus infantum debilitandum conducit tepidarum balnearum abuſus, islandis enim mos eſt, ut vel duabus freqventer hebdomadis vicibus recens natos tepida lavant aqva, hanc lavationem usqve ad infantis decimam vel duodecimam continuant hebdomadem, talis conſvetudo non poteſt non perniciosisſimas habere ſeqvelas, hæc tepidæ balneæ cutim debilitant(cujus corroboratio ad bonam perficiendam transſpirationem erat neceſſaria) infirmaqve infantum corpora reddunt infirmiora, ita ut poſtea nimiam tempeſtatum & in ſex rebus non naturalibus ſentiant mutationem, certe infantibus imprimis regionibus borealibus erat utilius, ut loco tepidi, frigida uterentur lavatione (h) multum inde illorum roborentur corpora, nec poſtea frigore & tempeſtatibus tam facile afficerentur.

Veſtimenta & Faſciæ (i), qvibus, (ut a frigore aeris defendentur infantes) utuntur callidisſimis, nec illis multum conveniunt hæc denſæ faſciæ corporis lateribus tam firmiter ligamento (k) aplicantur, qvod ſane mirum, non freqventius in islandis obſervari corporis deformitas, deinde illis cunnis impoſitis callidisſima ſuperimponunt integumenta, adeout qvaſi in ſudatorio miſelli perpetue jacent ſudabundi; Hæc conſvetudo nec non cæteris eſt perniciofior in hac enim callida athmoſværa infantes brevi ita debilitantur (l), ut vix in poſterum



(h) Vid. Tiſſot avis au peuple p. 342.

(i) Faſciæ e lana denſisſima ſunt fabricatæ & dicuntur Flokker.

(k) Dicitur isl. Reifalinde.

(l) Non defuere, qvi cauſam debilitatum infantum in frigido poſuerunt aere & crediderunt recens natos baptizaturos imprimis procul ſitos in itinere ad templum per hyemem frigidisſimam magnum ſanitatis capere detrimentum, ſed non videtur veroſimile, qvoniam freqventer faſciis, ita ſunt inveſtiti, ut potius ſudent qvam fregeant.

ſterum frigidiorem perferant aerem, ſed pallidi, debiles, non raro peripneumoniaci in ipſa infantili pereunt ætate.

Si vero infantes mala, (qvæ a noxia nutritione nec non educatione ſuam debent originem) in infantia evitaverunt, tamen raro ab his ſunt imunes cum ad provectiorem perveniunt ætatem, ſed in omni ætate ſuis vexantur incommodis, ſic obſtructiones glandularum & viſcerum freqventisſimæ, hypochondria imprimis Scorbutus & Elephantiaſis, qvæ his annis funeſtum & triſtisſimum cæperunt incrementum) certa procul dubio ratione ab infantili oeconomia ſuam habent originem, etiamſi adultorum non minus noxia diæta & Oeconomia contribuit ad hæc exacerbanda mala & in poſterum promovenda.

An infantum diæta & nutritio in islandia in poſterum aliqvod in illorum mores & vires animi imperium habere, non qvidem videtur veroſimile, nec tamen defuere illi, qvi, infantem una cum nutricis lacte ejus ſimul ſugere virtutes & vitia; crediderunt, eo ſimul fundamento ſpecioſis qvidem argumentis lac ad infantes nutriendos damnaverunt animalium, & maternum prætulerunt, qvoniam crediderunt, infantes cum in teneri ætate pro nutrimento bovino vel ovino utuntur lacte, qvod inde ſtupidi fierent & obrutesſcantur; Sed qvotidiana experientia edocti vidimus contraria, Islandi enim etiamſi fere omnes in infantia lacte bovino nutriti, tamen optimis animi & ingenii viribus freqventer ſunt prædití, nec minus islandia qvam cæteris regionibus celeberrimos & ingenioſisſimos producit viros.